



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 177. Usumcassani Persarum Regis obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. Legati pii fidem Regni ensem, & calcaria porrigebant, quibus benigne acceptis Pontifex ipsum testamentum, & acceptati Regni literas in Archivis Apostolicis condi imperavit. Hoc Regnum ab Anno millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo usque ad Annum Domini millesimum quadringentesimum sexagesimum quintum semper propriis suis Regibus parebat.

§. CLXXVII.

Usumcassani Persarum Regis extrema.

*Palmer. in
Chronic.*

Eodem anno Usumcassanus Persarum Rex animam egit, annos natus septuaginta octo. Successorem reliquit Jaccupam natu minimum ejus Filium cognomento *Chiorzeinal*, hoc est monoculum, seu unius oculi luce privatum. Juvenis iste Princeps, ut Regiminis socium amoveret, fratrem natu majorem eadem nocte, qua Pater ejus e vita migravit, interfecit. Ita Historicorum nonnulli referunt, aliorum tamen fide discimus, quod Usumcassanus quatuor superstites reliquerit filios, unum de prima, tres de secunda uxore progenitos, eaque ipsa nocte, qua illorum Patèr deceffit, eorum natu majorem tres illi fratres uterini strangulari; secundus vero ex his tribus sibi proximum pariter trucidari jusserit. Hic autem

autem, cum Regnum septem circiter an-
 nis haud vulgari moderationis suæ lau-
 de tenuisset, veneno a conjuge sua val-
 de impudica extinctus est, quæ tamen
 & ipsa paulo post eodem mortis genere
 sublata obiit. Post Usuncassanum alii,
 atque alii exiguæ æstimationis Prin-
 cipes regnabant in Perside usque ad
 nominatissimum illum Ismaelem Sofum,
 de quo dicitur suo loco.

Sæcul. XV.

A.C. 1478.

§. CLXXVIII.

*Henrici Harphii, & Laurentii Calcanei
 obitus.*

Hunc quoque annum sibi funestum ha-
 buit Henricus Harphius Belga ex
 Ordine FF. Minorum de Observantia Me-
 chliniæ fatis functus. Eminebat in Theo-
 logiæ Mysticæ studio, de quo argumen-
 to tres elucubravit libros, primum sub
 titulo *Epithalamii*, alterum *Directorium
 aureum contemplativorum*, tertium denique
*Edem seu terrestrem contemplantium
 paradisum* nuncupabat. Hoc opus pri-
 mo Colonienfibus Anno millesimo quin-
 gentesimo trigesimo octavo, postmodum
 Romanis literis jussu summi Pontificis
 Anno millesimo quingentesimo octogesi-
 mo quinto excusum fuit. Alia adhuc
Hist. Eccles. Tom. XXIX. X x in-